

www.e-rara.ch

**Alphabetum II. quaestionum miscellanearum canonico-theologicalium ex
sacra Tridentina synodo, sacris canonibus, ss. patribus, & auctorum
probatissimorum**

Sebaldus

Herbipoli, anno 1734

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: Rs 293: ba

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-47492>

[D].

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

debebis te gerere ut vinculatum censurâ. *Rat.* quia tunc possessio stat pro iustitia sententiæ superioris. *S. Th. loc. cit.*

Vide Verbô: *Absolutio* & Verb. *Excommunicatio, suspensio, & Interdictum.*

DELEGATUS

1. Judex est ille, qui non ex munere proprio (uti judex ordinarius) sed ex commissione vel ipsius juris, vel alicujus hominis propriam jurisdictionem habentis, in distincto à delegantis tribunali jurisdictionem exercet. Dixi: *in distincto* &c: per quod Delegatus differt à Vicario Generali; hic enim non habet distinctam ab Ordinarii, cujus vices gerit, jurisdictione jurisdictionem, nec eam exercet in distincto tribunali, sed in eadem Curia & loco, ubi eam exercet Ordinarius v. g. Episcopus. Unde, etsi à judice delegato valeas appellare ad delegantem ordinarium, non tamen vales à Vicario Generali appellare ad hujus principalem seu Ordinarium. *Cap. super. 27. §. porro. de off. jud. deleg.*

2. *Q. 1.* quinam dicantur *delegati ab homine*? *Rz:* illi, qui à judice ordinario delegantur. Econtrâ *delegati à jure* vocantur, qui delegantur ex commissione ipsius legis, Canonis, vel receptæ & vim legis habentis consuetudinis: Sic Episcopi in pluribus casibus à jure communî constituuntur Judices Sedis Apostolicæ delegati; ut patet ex *Trid. Sess. 5. c. 1. & Sess. 6. c. 2. de ref. ac alibi.* Item ex *Cap. ad abolendam. §. fin. de heret.*

3. *Q. 2.* quid operetur ista clausula: *tanquam Sedis Apostolicæ delegatus*? *Rz,* hoc, quod in eo casu nequeat fieri appellatio ab Episcopo ad Archiepiscopum, sed duntaxat ad Summum Pontificem, tanquam à delegato ad delegantem. *Glossa in Cap. licet in corrigendis. §. tanquam delegatus. de off. Ordin.* Si in jure vel Canone dictæ clausulæ addatur *ly etiam,* signum est, Episcopum
in

in eo casu gaudere & ordinariâ & delegatâ potestate, & posse uti, quâ maluerit; quamvis in dubio censeatur voluisse uti delegatâ, *tum*, quia hæc est magis honorifica, quàm sua ordinaria. *Cap. 11. de off. jud. deleg. tum*, quia per eam fit, ut rariùs contingat appellari, juxta dicta. *Engel ad d. t. n. 5.*

4. *Q. 3.* quinam dicantur *delegati ad universitatem causarum*? R. illi, quibus vel universim omnes propè illius territorii, Diœcesis &c. causæ cognoscendæ committuntur vel omnes saltem causæ in quodam subalterno genere, e. g. omnes causæ matrimoniales, beneficiales &c. etsi cum restrictione ad certum locum, tempus, & quantitatem, v. g. omnes causæ matrimoniales in hoc loco occurrentes, ad 10. annos &c. Econtra *delegati ad causam particularem* sunt, quibus una vel altera duntaxat causa particularis, hîc & nunc emergens, dijudicanda & terminanda committitur. Inter hos & priores sunt hæc notabiles differentiæ, quòd. 1. *delegatus ad universitatem causarum* reputetur quasi ordinarius iudex. *Glossa in Cap. cum causam. 4. delegatus. de appell.* Fagn. & alii; non item *delegatus ad causam particularem*. 2. quòd prior possit, juxta dicenda *n. 11.* subdelegare: 3. quòd propriè & in rigore juris dicatur habere *mandatam jurisdictionem*; alter verò solum *delegatam*.

5. *Q. 4.* quandonam aliquis dicatur *delegatus ratione dignitatis*, quam obtinet? R. quòd tunc, si e. g. delegatio fiat Episcopo Herbipolensi, vel Prælato ad S. Stephanum, non expressò nomine personæ delegatæ. *Cap. 14. de off. jud. deleg.* Econtra *delegatus ratione personæ* sua est, dum delegatio fit expressò nomine propriò v. g. Titii. Posterior delegatio, cum sit personalis, expirat mortuò delegatò; prior verò, cum sit realis & dignitati annexa, transit ad successorem delegati. *cit. Cap. 14.*

6. *Q. 5.* quis possit delegare? R. quivis iudex ordinarius. Sed poteritne hic *totam* suam jurisdictionem dele-

delegare? *Rz Neg.* nisi consultò Principe. *Rat. est tum,* quia totam suam jurisdictionem alteri committendo non tam censeretur delegare, quàm se suò officio ordinariò abdicare: quod non potest inconsultò Principe. *L. penult. ff. de off. Præs. id.* Tum quia judex, Principe inferior non potest locò suò constituere judicem ordinarium: at hoc fieret, si totam suam jurisdictionem alteri committeret nihil sibi reservando: ergo. *Maj. prob.* quia id est singulare privilegium supremæ Principis potestati competens; ut habetur *lib. 2. Feud. tit. 56. quæ sint Regalia.*

7. *Q. 6.* an etiam judex delegatus delegare sive potiùs subdelegare valeat? *Rz Neg.* nisi sit delegatus Principis saltem in temporalibus Superiorem non recognoscentis. *Cap. cum causam. §. fin. de appellat. & Cap. fin. de off. deleg. ac L. à giudice. §. Cod. de judiciis.* Aliam exceptionem dabo in *Q. 8. inf.*

8. *Obj. 1.* si judex ordinarius, etiam inferior, in delegatione à se facta usus sit hâc vel simili clausulâ: *per te vel per alium* jurisdictionem exercere valeas &c, taliter delegatus potest subdelegare; ut cum *Glossa in Cap. is cui. 12. V. per alium. de off. deleg. in 6.* docent *DD. comm.* ergo. *Rz,* in eo casu non fieri subdelegationem propriè; siquidem delegatus ibi non nomine suò sed nomine judicis Ordinarii jurisdictionem devolvat ad tertium, qui propterea non subdelegari sed delegari dicendus est; à quo proinde etiam appellatio fieri debet ad Ordinarium seu primò delegantem, non verò ad primò delegatum. *Felin. Laym. &c apud Wicstu. b. t. 11. 24.*

9. *Obj. 2.* in *Cap. super questionum. §. Nos autem. de off. deleg.* dicitur: *judex quicumque, qui non tam cognitorem, quàm executorem, ad aliquem certum articulum quempiam deputaverit &c:* ergo quilibet judex potest alium deputare: at delegatus quicumque est judex: ergo. *Rz per hoc solum probari, quod & nos cum comm.*

DD.

DD. dicimus, delegato cuicumque facultatem esse deputandi aliquem, non cui committat jurisdictionem suam & causæ cognitionem, sed qui sit merus executor mandati ipsius v. g. investigando super aliqua exceptione, utrum testis sit admittendus &c, & quod gestum est, aut siquid dubii fuerit, ad delegatum referendo.

10. Q. 7. an delegatus Principis, de quo supra n. 6. in omnibus casibus subdelegare possit? *Rz Neg.* quia non potest *imo* in causis ita gravibus & arduis, ut ad eas terminandas & commodius expediendas necessaria sit persona ipsius delegati. *Cap. si pro debilitate. 3. de off. deleg.* *2do* si talis delegatus quærat se malitiosè exonerare, seu à causæ discussione subtrahere. *Cap. pastoralis. 28. §. 1. d. t.* *3io* si talis delegatus jussus sit, per se vel suis manibus causam expedire; tunc enim, uti & in *imo* casu, censetur electa industria personæ. Si tamen delegatio fuerit facta ad instantiam Partium, poterit ejusmodi delegatus subdelegare, Partibus consentientibus, etsi in delegatione sit electa industria personæ. *Cap. fin. §. is autem. d. t.*

11. Q. 8. an delegatus ad causarum universitatem subdelegare valeat? *Rz aff. cum comm.* DD. quia talis quodammodò æquiparatur habenti jurisdictionem ordinariam. *Wiest. & alii.*

12. *Obj.* Cooperatores sibi à Parochis, à quibus sunt assumpti, commissam parochianos absolvendi potestatem nequeunt aliis subdelegare; licet sint delegati ad universitatem: *Similiter* Regulares mendicantes eam, quam ex privilegiis Apostolicis obrinuerunt, facultatem absolvendi à peccatis & censuris, dispensandi in votis, ac vota commutandi, nequeunt aliis subdelegare, quamvis sint, & quidem à Summo Principe sc. Papâ, delegati ad universitatem: ergo. *Rz dispar. esse tum*, quia istis pro foro interno delegatis illam subdelegandi facultatem nec attribuit jus, nec juris interpretatio, neque

neque communis sensus DD. aut consuetudo; uti in nostro casu. Tum quia nostris, de quibus loquimur, delegatis subdelegandi facultas competit eatenus, quatenus ordinariis æquiparantur; adeoque quatenus officium habent: at verò nec memorati Cooperatores neque dicti Regulares habent in ordine ad actus insinuos officium, sed duntaxat simplicem jurisdictionem: ergo est disparitas. Si tamen parochus cooperatori commisisset, ut alium queat substituere pro simili actu v. g. assistentiâ matrimonii, haud dubiè posset cooperator alium substituere, attamen hic tunc suam jurisdictionem non accipit ex subdelegatione cooperatoris, sed ex delegatione parochi, cujus nomine cooperator illum substituit. *Laym. &c.*

13. Q. 9. an delegatio fieri possit pluribus? *R. aff. &* quidem vel pluribus in communi vel in solidum cuilibet ex istis pluribus. *In communi* fit pluribus, dum in rescripto plures numerantur conjunctim, sive dum enumeratæ personæ junguntur per particulam *&* vel *etiam*, aut aliam similem. Et tunc jurisdictio competit omnibus simul sumptis in solidum; ut ad *Cap. sciscitatus. 13. de rescript. n. 6.* docet *Gonzalez cum Imola, Gratiano &c.* ita quidem, ut si unus vel alter ex illis sic delegatis iudicibus impeditus sit, alii in causâ procedere nequaquam possint. Idem *Gonz. n. 8. Rat.* quia juxta formam rescripti, quæ servanda est, jurisdictio ipsis in solidum conjunctim competit: ac proinde seorsim procedentes nulliter procederent. *Cap. causam. 16. de off. deleg. Limita:* nisi rescripto appositæ fuerint hæ clausulæ: *quodsi non omnes, vel: quodsi ambo interesse non possint, duo vel alter eorum procedat* (quæ clausula apud veteres signabatur his litteris: *AA. V. S. E. V.* sensus earum erat: *Ambo, AlterVe, Si Eis Videbitur*) tunc enim si unus ex delegatis istis conjunctis sit in cognitione causæ vel sententia ferenda impotens impotentia juris vel facti, liquidò tamen constante,

stante, alius vel alii procedere & causam terminare valent. *Cap. prudentiam. d. r.* siquidem per impotentiam unius non exspiret jurisdictio alterius, sed potius purificetur, quæ per dictam clausulam conditionalis erat. Dixi: *impotentia unius liquido constante*; nam si alterius condelegati impotentia vel impedimentum non liquido constet, sed dubium sit, non potest alter virtute dictæ clausulæ procedere validè; cum ob dubiam existimationem non sit infringendum alterius jus, quod is habet ad exercitium suæ jurisditionis.

14. *Q. 10.* sed quid, si terminatâ causâ superveniens v. g. tertius condelegatus iudex rati habeat actum; reliquorum duorum condelegatorum, qui tertium existimant impeditum esse? *Rz* vel præsentia omnium trium condelegatorum iudicum fuit vî rescripti seu delegationis requisita ob favorem publicum, vel ob favorem condelegatorum, vel partium? *Si unum*, actus rati habitatione non revalidatur; nec enim condelegatorum unus, nec partes suâ rati habitatione possunt præjudicare favori publico. *Si adum*, roborabitur actus; quia favori pro se introducto quilibet renunciare valet. *Si tertium*, actus manet nullus, nisi ipsæ partes eam rati habeant.

15. *Q. 11.* quandonam cuilibet ex pluribus *in solidum* fiat delegatio? *Rz* quando in eodem rescripto plures iudices nominantur, qui tamen per nullam particulam junguntur. Et tunc datur locus præventioni ita, ut is jurisditionem exerceat, qui prius de causa cognoscere cœperit. Quodsi verò omnes vel aliqui eodem tempore cœperint de causa cognoscere, tunc omnes vel illi aliqui, qui prævenerunt, de causa in simul cognoscent ita, quòd amplius pro ferenda sententia non detur locus præventioni.

16. *Q. 12.* an Episcopus causas Clericorum possit delegare laico? *Rz. 1. Neg.* si sit causa merè Ecclesiastica seu spiritualis. *DD. comm. ex Cap. decernimus. de Judiciis,*

diciis, junctâ *Glossâ*. R. 2. nec causa Clericorum criminalis potest ab Episcopo delegari laico, etiam ut conjuncto alteri judici Clerico. Ita rursus *DD. comm.* teste *Juliô Clarô*, & parebit ex dicendis. R. 3. neque causa Clericorum civilis v. g. pecuniaria laico delegari potest ab Episcopo aliôve Prælato, Papâ inferiore. *Reiffenst.* & alii. *Rat.* quia, quæcunque sit causa, etiam civilis & pecuniaria, Clericus ex privilegio fori habet, ne tanquam reus trahatur ad tribunal laici; & quia hoc privilegium est concessum in favorem totius Ordinis Clericalis, Clericus ei renunciare non potest *Cap. si diligenti. de foro compet.* ergo ob eand. rationem non potest eidem privilegio per delegationem præjudicare Episcopus; alioquin hic vel dispensaret in jure communi Clericis eorúmque bonis privilegium fori concedente; vel quod unâ viâ laicis negatur, id per aliam viam eisdem concederetur contra *Cap. un. de Cler. conjug. in 6.* & contra *J. Reg. 84. in 6. cum quid unâ viâ prohibetur, ad id aliâ non debet admitti.* *Confirm.* Clericus, accedente etiam sui Episcopi consensu, non potest se subycere alieno judici, qui non sit persona Ecclesiastica *Arg. Cap. significâsti. de foro compet.* ergo.

17. *Obj. I.* in cit. *Cap. decernimus* solum prohibetur, ne laici Ecclesiastica tractare negotia præsumant: ergo non-Ecclesiastica possunt tractare, præsertim ex delegatione Episcopi, utpote per quam aufertur præsumptio ex parte laicorum. *II.* in *Can. Clericum. 3. causâ 11. q. 1.* prohibetur, nequis Clericum absque ejus Pontificis consensu trahat ad judicem sæcularem: ergo de consensu Pontificis sive Episcopi sui potest Clericus trahi ad judicem sæcularem, vel maximè, quòd *III.* sæcularis judex, ab Episcopo delegatus, non suâ sed Episcopi potestate judicet, *Arg. L. 1. §. qui mandatam. ff. de off. ejus, cui mandata est jurisdict.*

Rz. 1. his arg. nimium probari, sc. etiam causas merè Ecclesiasticas & criminales Clericorum posse ab Episcopo delegari laicis. Rz. 2. ad I. & II. N. consi. nam argumentum à sensu contrario non valet, quando exinde sequitur absurdum aut jurium correctio: at ex istis tuis à sensu contrario deductis argumentis sequitur imprimis absurdum, quod modò in *Rzfione una* adduximus; dein etiam sequitur jurium correctio, eorum sc. jurium, quibus Clerico & rebus illius est concessum privilegium fori: ergo. Ad III. N. ant. quod ex cit. L. haud probatur; utpote quæ solùm vult, quòd iudex delegatus non habeat jurisdictionem jure propriò, sed duntaxat jure & beneficiò alterius, sc. delegantis; non verò vult, delegatum carere jurisdictione, quin potiùs contrarium expressè asseritur cit. § *mandatam*, ubi: *venius est, more majorum jurisdictionem transferri*, delegatam videlicet, in delegatum; ùt explicat *Glossa ibid. §. jurisdictionem*: ergo iudex laicus suà proprià, ab Episcopo acceptà, jurisdictione judicaret Clericum.

18. Q. 13. an causæ meri vel mixti imperii delegari queant? Rz. 1. certum esse, quòd delegari possint à Supremis Principibus. L. 1. ff. de off. ejus, cui mandata &c. DD. ad illam L. Rz. 2. spectatò jure civili (de Canonico postea loquemur) istæ causæ ab inferioribus magistratibus seu iudicibus, ordinariam jurisdictionem ac merum mixtumque imperium habentibus, non sunt delegabiles, quamvis iste rigor hodie non observetur, sed ex generali consuetudine omnes eæ causæ delegantur.

19. Q. 14. quid hîc intelligatur nomine imperii? Rz. quòd jurisdictio, quæ nobilî (vide V. *Judex*) officio iudicis exercetur. Dividitur in imperium merum ac mixtum. Merum est jurisdictio, quæ officio iudicis nobilî, publicam utilitatem spectante, exercetur. Mixtum est jurisdictio, quæ eòdem nobilî iudicis officio, sed privatam per se utilitatem spectante exercetur.

Bartol. Panorm. Mol Laym. Wiestn. &c cum Glossa ad tit. ff. de jurid. omn. jud.

20. Q. 15. quinam sint actus seu causæ imperii meri, & qui mixti? *Rz actus imperii meri esse 1. condere leges totam Remp. obligantes: 2. cogere Concilium & indicere Comitia: 3. constituere publicos magistratus & ministros: 4. imponere tributa aliæve similia, supremæ potestati reservata: 5. malefactores punire: Qui actus imperii habet tres gradus: 1. *imus*, qui vocatur *imperium maximum*, continet pœnas mortis corporalis; ut combustionis, rotæ, decapitationis &c: 2. *idus*, qui est *imperium majus*, complectitur pœnam mortis civilis, ut deportationis, hodie Banni imperialis. 3. *ius*, qui *imperium magnum* appellatur, respicit pœnas non-capitales, tam famosas, ut sistentiæ ad numellas *aufm Pranger / degradationis &c*, quàm corporis afflictivas, ut amputationis manuum, fustigationis &c. *Actus imperii mixti sunt 1. spurios & infames rescripto natalibus, famæ, pristino statui restituere: 2. Minoribus dare veniam ætatis: 3. revocare sententiam, quæ transit in rem judicatam: 4. causas committere non admittens exceptione vel appellatione: 5. Episcopum ab una sede ad aliam transferre, & alia ejusmodi supremo Principi reservata: 6. restituere in integrum: 7. constituere tutorem vel curatorem: 8. in alienatione rerum immobilium vel pretiosarum; item 9. in emancipatione &c auctoritatem interponere: 10. mittere in possessionem bonorum &c. Wiestn. & alii.**

21. Q. 16. an causæ etiam meri imperii sint delegabiles de jure Canonico? *Rz aff. cum Glossa in Cap. quod sedem. 10. de off. Ordin. V. committere. Panorm. Barb. Marantâ & aliis contra Covarr. Menochium &c. Prob. 1. causæ hæresis & sanguinis sunt meri imperii: at possunt de jure Canonico delegari; ut de causâ hæresis habetur Clem. 1. §. propter. de hæret. & de causâ sanguinis Cap. fin. ne Clerici vel Monachi. in 6. imò ibi dicitur:*

tur: debent Episcopi causam sanguinis aliis delegare. Et cap. cum Episcopus. 7. de off. Ordin. in 6. dicitur, Episcopum omnes alias causas criminales posse aliis delegare.

22. Prob. 2. quamvis Vicarius quoad causas meri imperii indigeat speciali commissione, tamen spectatò jure Canonico possunt illi tales cause committi Cap. licet. 2. de off. Vic. in 6. ergo pariter possunt committi alteri delegato.

23. Obj. ea, quæ non competunt magistratui jure magistratûs sed speciali concessione legis aut S.Cti, non possunt delegari juxta L. 1. ff. de off. ejus, cui mand. est jurisd. at merum imperium non competit magistratui jure magistratûs sed speciali concessione aut beneficio legis, S.Cti, vel Principis, juxta regulam L. aliud est fraus. ff. de V. S. nusquam à jure Canonico correctam: ergo. R. dist. min. magistratui politico, de quo n. 18. T. min. Ecclesiastico, N. min.

24. Inst. juxta descriptionem Ulpiani L. 3. ff. de jurisd. omn. jud. merum est imperium, habere gladii potestatem ad animadvertendum in facinorosos homines: at magistratui Ecclesiastico planè non competit gladii potestas: ergo nec merum imperium. Min. constat ex Can. inter hæc. 6. XXXIII. q. 2. ubi: Sancta DEI Ecclesia gladium non habet, nisi spiritualem, non occidit, sed vivificat. R. 1. eam meri imperii descriptivam definitionem esse per actum imperii magis principalem, qui est habere potestatem gladii. R. 2. dist. maj. merum imperium politicum est habere potestatem gladii, corpus perimentis seu temporalis, C. merum imperium Ecclesiasticum est habere potestatem gladii, temporalis, N. Spiritualis, C. Potestas gladii spiritualis, quam expressè asserit \times . 1. de M. & O est potestas ferendi excommunicationem, quæ pœnis capitalibus comparatur Cap. per venerabilem. S. sunt autem, qui filii sunt legit.

25. *Urg.* atqui potestas gladii spiritualis nequit delegari. *Prob.* in commissione potestatis gladii spiritualis, sicut in commissione reliquarum causarum meri imperii, est electa industria personæ: ut tradunt *DD. ad L. un. §. his cunabulis. ff. de off. præf. præf.* atqui ea, in quorum commissione est electa industria personæ, nequeunt delegari *Cap. fin. de off. deleg. ergo.* *Et dist. maj.* est electa industria personæ prout promotæ ad officium, *C. maj.* est electa purè personaliter, *N.* Dupliciter fieri potest, ut ad aliquod officium præstandum eligatur industria personæ, sc. *1mò purè personaliter*, adeoque sic, ut ea persona ita electa id officium alteri nequeat delegare. Et hoc tunc fit, dum istius personæ officium non est stabile seu non perpetuum ex natura sua. *2dò non purè personaliter*: quod tunc fit, quando personæ electæ officium, ad quod illa est promotæ, est stabile & perpetuum ex natura sua; tunc enim officium istud præstandum censetur alligatum dignitati stabili; adeoque non tam personale quàm reale, quod proinde cum *re* seu officii communicatione delegari potest. Et de sic electa industria personæ loquitur citatus *§. his cunabulis*, ut patet ex subjectis verbis: *credidit enim Princeps, eos, qui ob singularem industriam, exploratâ eorum fide & gravitate, ad hujus officii magnitudinem sive ad præfecturam Prætorii adhibentur, non aliter judicaturos esse pro sapientia ac luce dignitatis suæ, quàm ipse foret judicaturus.* Ubi lex apertè se fundat in capacitate personarum, non secundum se sed ut promotarum ad sedem præfecturæ; adeoque ibi electa est capacitas seu industria personæ, non secundum se spectatæ, sed prout ad officium stabile promotæ.

26. *Repl. solis* Inquisitoribus conceditur ob specialem fidei favorem (ut ad *Clem. 1. §. 1. de heret. observant DD.*) facultas delegandi causam meri imperii: ergo reliquis ad officium Ecclesiasticum stabile promotis eadem

dem facultas non competit; siquidem *exceptio firmæ regulam in non exceptis*. *Dist. hoc*, si hi, non *excepti* casus sint ejusdem linearum cum excepto, C. si sint linearum diversæ, N. tunc enim unus casus ad alterum habet se impertinenter; adeoque non debet dici, factam esse exceptionem strictè dictam, sed declarationem duntaxat pro casu speciali. Quòd autem dicti casus sint diversarum linearum, probatur ex eo, quòd officium Inquisitorum tempore Clementinæ citatæ fuerit extraordinarium & delegatum atque specialiter arduum ob hæreticorum malitiam & hæresum qualitatem: quibus motivis ducti DD. negabant Inquisitoribus potestatem delegandi, quæ eis per Clementinam dictam est concessa; sicque eadem Clementina est decisio pro casu speciali, non vero exceptio respectu judicum ordinariarum.

27. *Dupl.* atqui judices ordinarii (de inferioribus seu de iis, qui non sunt summi Principes, est sermo) pro aliis casibus nequeunt delegare merum imperium: ergo dicta Clementina est exceptio. *Ant. prob.* isti judices quoad potestatem delegandi comparantur delegato Summi Principis: atqui delegatus Summi Principis v. g. Papæ, habens delegatum merum imperium, nequit id delegare: ergo. *Min. prob.* iste delegatus nequit delegare causam arduam *Cap. si pro. 3. de off. delegati*: atqui causa meri imperii reputatur inter causas arduas: ergo. *Rz* cum *Maranta* & aliis *dist.* delegatus Papæ nequit delegare causam arduam, si sit ardua seu gravis simpliciter, N. contrarium enim docetur in *cit. Cap. Si* (utor verbis capituli) sit *ita gravis, quòd sine presentia delegati non possit commode terminari*, C. *maj.*

28. *Q. 17.* an sint idem

Officium & potestas delegati.

Rz Neg. cum *Vallensi*, *Zoëzio*, *Gonz.* & aliis *ad h. t.*; nam id, quod iudex ex officio tenetur, potest; non autem

tem omnia, *quæ potest*, tenetur facere, quin potius aliquando tenetur omittere, ut ita officium & obligatio judicis latius pateant, quàm ejusdem potestas & jurisdictio. Vide *L. non quidquid. ff. de judiciis.*

29. *Q. 18.* quænam spectent *ad officium* & obligationem judicis delegati? *By seqq. I.* ut non procedat ante factam sibi litterarum delegatoriarum præsentationem. *DD. comm.* quia ante præsentationem seu receptionem rescripti delegatorii non censetur ipsi collatum esse jurisdictionis exercitium; etsi is aliunde sciat, se judicem delegatum pro hac causa constitutum esse, *Cap. super eo. 12. de appell.* Unde, si ante eam litterarum receptionem procedere inceperit, processus erit nullus, etsi litteræ superveniant. Quod *Maranta* cum aliis intelligit pro casu, quò pars adversa excipit de litteris non præsentatis; si enim non excipiat, sicque tacendo consentiat, valebit processus. *Reiffenst. ad h. t. n. 96.* Si delegatio vergat in præjudicium alicujus judicis ordinarii à delegante distincti, debet delegatus probare suam delegationem.

30. *II.* debet delegatus servare formam commissionis suæ; alias ab illo lata sententia & acta omnia erunt nulla, *Cap. cum olim. 32. & Cap. Venerabili. 37. b. t.* Excipe *imò*, nisi illa, quorum in litteris commissorialibus seu delegatoriis non fit mentio, connexa & accessoria sive talia sint, sine quibus commissarius seu delegatus munus sibi impositum exequi non potest; illa enim delegata censentur, etsi nulla eorum mentio fiat in rescripto. *Cap. prudentiam. 21. & Cap. præterea 5. d. t. 2dò* nisi aliquando æquitas aut Partis exceptio rationabilis suadeat, ut recedatur à rigorosa rescripti observatione. *Cap. ex parte. 13. b. t.* *E. G.* committitur mihi in rescripto, ut cognoscam de jure prælationis in aliqua re, & veniunt aliquæ personæ extraneæ sive aliæ etiam, quàm sint nominatæ in rescripto, meritò & illæ coram
me

me jus suum proponere possunt. *Wiest. cum Felino & Panorm.* Similiter, si in rescripto terminandæ causæ certum tempus sit expressè constitutum, & reus ob gravem infirmitatem non valens suam causam defendere, petat dilationem, delegatus hanc ei denegare non debet; quia delegans non censetur suò rescriptò voluisse derogare juri Rei, auferendo defensionem jure naturæ permissam. *Arg. Cap. 15. h. t. Wiestner.*

31. III. debet delegatus servare juris ordinem, nisi fors in litteris sit pro processu specialis forma præscripta; adeoque tenetur admittere necessarias probationes legitimâsque defensiones; ut puta rationabiles exceptiones vel appellationem rectè factam. *Cap. 13. h. t.* Si in litteris delegatoriis addatur clausula: *rejectis exceptionibus, vel: nullâ exceptione admittâ*, id solum intelligendum est de minùs rationabilibus & frivolis exceptionibus, ut ita rationabiles equidem necessariò admittendæ sint juxtâ *DD. comm.*

32. IV. ad officium judicis delegati, si Pontificius seu Apostolicus sit, spectat, ut sententiam à se latam exequatur per se vel per alium. *Cap. significasti. 7. h. t. & Cap. in litteris. 9. eòd.* Dixi: *si Pontificius sit*; nam, an delegatus ab inferiore judice v.g. Episcopo, possit per se loquendo exequi sententiam à se latam, dubium est inter *DD.* Verior sententia *Abbatis & aliorum* affirmat. *Rat.* quia, cum executio sententiæ in causis civilibus ad mixtum imperium soleat referri, mixtum verò imperium ita sit adjunctum jurisdictioni, ut ab hac non separetur *L. imperium. ff. de jurisd.* hinc delegatus, habens jurisdictionem, simul habet mixtum imperium & jus exequendi sententiam. Quod jus à fortiori competit delegato pro causa criminali; talis enim, cum sit delegatus cum mero imperio, indubiè debet habere potestatem exequendi sententiam; hujus namque executio consistit in injunctioe pœnæ; injunctio autem pœnæ principaliter mandatur, dum merum imperium dele-

gatur: ergo. Habet autem delegatus pro executione sententiæ annum *Cap. 26. h. t.* eamque sive per se sive per ordinarium judicem exequi potest. *Cap. 7. eod.*

33. *Q. 19.* quænam ad potestatem delegati spectent? R. quod I. citare partes, & eas, si legitimè citatæ comparere, aut ejus mandato aliàs parere nolint, compellere opportunis remediis. *Cap. 4. & 5. h. t.* II. potest eos, qui illius jurisdictionem impediunt vel malitiosè retardant, punire pænis à lege vel jure statutis *Cap. 4. cit. vel arbitrariis; ut interdicti, excomm. &c.* si pænæ à jure statuti desint. Et, si istæ pænæ non proficiant, potest à Papa delegatus brachii, etiam sæcularis, auxilium implorare. *Can. administratores. 26. causâ. 23. q. 5.*

34. *Q. 20.* quandonam cesset & finiatur officium & potestas delegati? R. cessare I. morte ipsius delegati, si delegatio facta sit personæ; si enim facta sit Sedi, perdurat & transit ad successorem in sede sive dignitate; quia dignitas non moritur nec variatur per mutationem personæ. *Cap. si gratiose. 5. de rescript. in 6. Sed quid in dubio, an delegatio fuerit personalis, an realis, si e. g. tenor rescripti se habeat sic: Petro Abbati hujus monasterii committimus &c?* R. dubium debere tolli ex observatione omnium circumstantiarum & aliorum contentorum in contextu rescripti: Et, si sic tolli nequeat, sed maneat dubium, tunc censenda est delegatio personalis. *Rat.* quia, cum delegatio deroget jurisdictioni ordinariæ, & huic præjudicet, est odiosa: ergo strictè interpretanda; adeoque non extendenda ad successorem in sede: atqui ad hunc extenderetur, si in casu dubio censeretur realis: ergo. *Reiffenst. cum Sanch. & Pirhing.*

35. *Q. 21.* an si delegatio sit facta sedi Episcopali, ea, sede vacante, transeat ad Capitulum? R. *Neg. cum Abb. Felino &c. Rat.* quia delegatio est tunc facta Episcopo
ut

ut tali, non autem ut Ordinario: at Capitulum sede vacante non potest dici Episcopus: ergo. *Econtra*, si delegatio sit facta Capitulo sede vacante, ea transit cum ordinaria jurisdictione ad novum Episcopum. *Rat.* quia jurisdictione illa est delegata Capitulo ut Ordinario: at sede impletâ Episcopus est Ordinarius, & Capitulum definit gerere vices Ordinarii: ergo.

36. II. finitur jurisdictione delegata, si delegatus removeatur tanquam suspectus; tunc enim, si is à sententia, quâ contra eum suspensionis causam legitimam esse pronunciatum est, non appellaverit, nec in causa procedere, nec eam subdelegare poterit; etsi sit delegatus Papæ. *Cap. iudex. 5. §. post recusationem. h. t. in 6.* Si tamen contra eum Papæ delegatum nondum sit pronunciata suspensionis sententia, poterit is causam subdelegare alteri sine etiam assensu recusatoris, antequam ei (delegato scilicet) causa suspensionis fuit proposita; post hanc propositionem verò debet ea subdelegatio fieri cum assensu recusatoris. *cit. Cap.*

37. III. finitur officium & potestas delegati per revocationem delegantis aut ejus, qui est superior delegantis. *L. iudicium. ff. de iudiciis.* Imò, si res etiam non sit amplius integra, sed iudicium jam per citationem partis aut etiam litis contestationem sit cœptum, poterit iudex ordinarius jurisdictionem à se delegatam revocare, & causam sibi assumere; ut docent *Sanch. Laym.* & alii *Arg. cit. L. iudicium. 58.* Aliud est de delegato supremi Principis vel ad universitatem causarum, is enim, si res non sit amplius integra sed jam cœptum iudicium, non potest revocare subdelegationem, à se factam in totum. *Cap. venerabili 37. h. t. & DD. comm. Rat.* quia tota illa jurisdictione, quæ ei delegata erat, tunc efficaciter transit in subdelegantem, *Cap. quamvis. h. t. in 6.* sicque ipse delegatus caret jurisdictione, utpote quâ se in totum abdicavit: atqui carens jurisdictione nequit revocare delegationem à se factam: ergo. Dixi:

à se factam in totum; si enim non totam causam subdelegarit sed partem duntaxat, aliquid de jurisdictione in illam causam sibi reservando, tunc re etiam non ampliùs integrâ poterit subdelegationem revocare. *Glossa in cit. Cap. quamvis. Mol. Barb. & alii. Rat.* quia manet adhuc superior respectu talis causæ; utpote respectu cujus retinet adhuc jurisdictionem.

38. IV. finitur lapsu temporis, ad quod datus est delegatus, *Cap. 4. § 24. h. t.* nisi fors terminus iste ante sibi præfixi diei lapsum de communi partium consensu fuerit prorogatus. *cit. Cap. Dixi: ante præfixi &c;* nam si dies (vel tempus) iudicio finiendo præfixus præterlapsus sit, non possunt partes suò consensu ampliùs prorogare seu ad ulterius tempus extendere jurisdictionem delegatam. *DD. comm. ad cit. Cap. 4.* Porro terminus delegationis incipit à die præsentationis litterarum delegatoriarum, si is, terminus nimirum, per numerum dierum, mensium, vel annorum statutus sit. *Arg. Cap. super eo. 12. de appell. in fine.*

39. V. finitur finitò negotiò ita, ut hòc finitò neque causam reassumere possit delegatus, neque sententiam, etiam nulliter latam, corrigere; quia jam censetur functus suò officiò. *DD. ad Cap. 9. h. t.* Terminatur autem negotium per executionem sententiæ latæ, si delegato executio competat, vel per ipsam sententiam diffinitivam, si ei non competat executio; vel etiam per interlocutoriam sententiam, quâ in causa principali se incompetentem pronunciat; secùs est, si se pronunciet incompetentem quoad articulum incidentem duntaxat.

40. VI. finitur officium & potestas iudicis delegari morte delegantis *Cap. gradum 20. & Cap. licet. 30. h. t.* si tamen res adhuc integra sit; si enim delegatus jam inceperit iudicium saltem citatione partium; ut hodie *communius* tradunt *DD.* vel litis contestatione etiam; ut rigorosius expetunt aliqui Antiquiores, tunc non
finitur

finitur morte delegantis delegata jurisdictio. *citt. Capp.*
 Quod dictum est de naturali delegantis morte, *DD.*
 extendunt ad mortem ejus legalem, quæ contingit per
 cessationem officii illius, ut per depositionem ab offi-
 cio aut resignationem istius.

41. *Q. 22.* an delegati, delegantem mortuum esse igno-
 rantis, acta valeant, si mors contigerit re integrâ? *Rz*
valere, si in loco, ubi acta sunt gesta, mors delegantis
 fuerit publicè ignorata. *Sanch. Wiest. & alii. Prob. 1.*
juxta L. Barbarius. 3. de off. prat. & §. veruntamen, qui
 habetur post *Can. infamis. III. q. 7.* valida sunt acta à
 servo gesta, si servitus ejus fuerit publicè ignorata;
 adeoque servus iste fuerit pro libero habitus: ergo eti-
 am valida erunt acta à delegato gesta, si mors delegan-
 tis fuerit publicè ignorata; adeoque delegatus fuerit
 pro delegato iudice habitus. *Confirm.* acta & sententia
 iudicis delegati non vitiantur per ejus excomm. occul-
 tam, ut tradunt *DD. Arg. Cap. ad probandum. de sent.*
¶ re judic. ergo nec vitiantur per ignoratam mortem
 delegantis.

42. *Prob. 2.* sicut mors delegantis est principium ne-
 gativum tollens jurisdictionem delegati, ita revocatio
 delegantis est principium positivum tollens jurisdic-
 tionem delegati: ergo si revocatio delegationis ignorata
 non officiat delegato, nec eidem officiet ignorata mors
 delegantis: atqui revocatio delegationis, ignorata à
 delegato, huic non officit *Cap. 33. de rescript. & Cap. 4.*
de restit. spol. ergo nec ei officiet ignorata mors dele-
 gantis.

43. *Obj.* si ista delegati acta valerent, error vel igno-
 rantia tribueret delegato jurisdictionem: at error vel
 ignorantia non potest tribuere jurisdictionem, *L. si per*
errorem. 15. ff. de jurisd. ergo *Maj. pat.* quia si abesset
 illa mortis ignorantia, delegato non competeret juris-
 dictio. *Rz dist. min.* error vel ignorantia *particularis*
 partium litigantium incompetentem iudicem adeuntium,
 C. min.

C. *min.* error vel ignorantia communis concurrens cum titulo colorato, qualis habetur delegatione semel legitime factâ, non potest tribuere jurisdictionem, N. *min.* nam famosum est juris adagium: *error communis jus facit.*

44. *Inst.* per mortem delegantis delegatio finitur ipsò jure; ut docent *DD. ex Cap. si cui nulla. de Præb. in 6.* ergo ignorantia etiam communis non potest, mortuò delegante, delegato tribuere jurisdictionem. *Consi. prob.* quia in eis, quæ ipsò jure fiunt, nihil operatur ignorantia, etiam communis, *L. 32. ff. de acquir. hæred.* ergo si &c. *Rz dist. ult. Ant.* ignorantia pura & secundum se accepta, C. sumpta cum aliquo accessorio ejus defectum supplente, nihil operatur, *N. ant.* in casu autem nostro communi ignorantia accedit fictio juris, quâ fingitur delegans vivere tempore ignorantia mortis illius: quæ proinde fictio tantundem operatur, ut subsistiantur acta, ac si delegans verè viveret.

45. *Urg.* mortuò delegante planè extinguitur delegatio, etli mors communiter ignoretur: ergo huic ignorantia non accedit fictio juris fingentis vitam delegantis. *Ant. prob.* mortuò mandante planè extinguitur mandatum procuratorium, etli ea mors communiter ignoretur, *L. ejus, qui. ff. de reb. credit.* ergo pariter &c. *Rz N. ant. ad prob. dist. ant.* planè extinguitur in casu quodam speciali *cit. legis, C.* generaliter loquendo, *N. ant.* cum *Schambogen* dicente, Procuratori, si mandantis mortem ignorans negotium expediat, competere actionem mandati. Ita is in *Institut. de mandato. §. item:* ergo non planè extinguitur mandatum. In adducta autem contra nos *lege* ponitur casus specialis, quò mandati actio non, sed actio negotiorum gestorum dicitur competere; ac proinde quò planè finitur mandatum, non quidem præcisè ob mortem domini mandantis ignoratam, sed ideò, quia ille mandatarius servus erat pro parte factus domini hæres: ob quod debebat cessare actio

actio mandati, & competere alteri cohæredi sola actio negotiorum gestorum; aliàs enim idem servus contra se ipsum habuisset actionem directam & contrariam mandati.

46. *Replie.* generaliter loquendo matrimonium, per procuratorem cum ignorantia etiam publica mortis mandantis contractum, est nullum: ergo generaliter loquendo morte mandantis etiam publicè ignoratâ planè extinguitur mandatum. *Dist. cons.* in causa matrimonii, C. in alia, *N. dispar.* inter casum tuum & nostrum est, quòd contractus matrimonialis sit unus ex eis actibus, qui petunt perfici consensu formali: qui consensus deficit, sive ignoretur sive sciatur mors mandantis, cujus nomine procurator vult contrahere. At verò perseverantia delegatæ jurisdictionis vel hujus exercitium non petit perfici actu formali delegantis, licet illò perficiatur actualis delegatio.

47. *Duplic.* mandans debet in gesta consentire, saltem virtualiter: at mortuus non potest consentire: ergo sicut matrim. mandante mortuò contractum est nullum ob defectum consensûs formalis, ita gesta delegatâ sunt nulla pro nostro casu ob defectum virtualis consensûs mandantis. *Dist. min.* mortuus quâ talis non potest &c, C. mortuus qui talis, quique fictione juris reputatur pro vivo, & cujus nomine delegatus exercet jurisdictionem, non potest consentire virtualiter, *N.*

48. *Tuplic.* fictio juris non habet locum, nisi sit casus publicæ utilitatis: at actus à delegato gestus cedit solùm in privatam utilitatem partium litigantium: ergo. *Rz dist. min.* immediate, C. tam mediatè quàm immediate, *N. min.* nam mediatè etiam interest Reip. utpote cujus interest, cuiuslibet justitiam administrari.

49. *Q. 23.* cur in supra posita *Rz*sione addiderim: *si mors publicè fuerit ignorata?* *Rz*, quia, si ab ipso solo de-
lega-

legato ignoretur, cùm sit ignorantia privata, non faciet jus. *Vicissim*, si mors à Communitate ignoretur, à delegato autem sciatur, iterum non valebunt acta; eò quòd communis error tunc solùm faciat jus, si habens titulum coloratum sit in bona fide: at delegatus mortem delegantis sciens non est in bona fide: ergo.

Praxis pro Regularibus.

30. Quòd apud Regulares nedum Generalis sed etiam Provincialis legitime impeditus uni suorum subditorum, qui tamen juxta *Cap. in singulis. de Statu Monach.* sit *religiosa & circumspecta persona*, maturus ætate & eruditione conspicuus vir, possit delegare visitationem Provinciæ aut alicujus Conventùs vel unam particularem causam criminalem, ex generali consuetudine notum est; cùm (ut bene notat *P. Kerchove*) nullam habeamus legem in contrarium.

31. Apud nos, si Provincialis infirmitate aliãve evidente & gravi necessitate præpeditus nequeat per se visitare, debet in litteris delegationis seu commissionis exprimere cum juramento causam, cur non visitet personaliter; aliàs commissio nullius roboris erit, & tenentur Prior ac Conventus visitandus talem Commissarium non recipere sub pœna nullitatis actuum. *Constitut. p. 3. c. 20. n. 1.* Insuper delegato Visitatori etiam locum assignabit. *ibid.*

Forma istius delegationis poterit esse talis:

F. N. Sacri Ordinis &c per Germaniam superiorem humilis Prior Provincialis &c Dilecto nobis in Christo R. Patri N. salutem in Domino &c.

Cùm muneris nostri ratio, ut delicta gravia minimè impunita remaneant, à nobis exigat, Nos verò ex fama multiplici, ad aures Nostras delatâ (aut: ex denunciatione orerenùs, vel: per litteras, quas huic tuæ commissioni accludimus, factâ, sive: ex accusatione coram Nobis productâ) intellexerimus, quòd *P. N.* (vel *F. N.*)

Sacer-

Sacerdos (vel Religiosus) professus Nostræ Religionis, Conventus N. tale delictum (hic ponatur delictum clarè specificatum) die N. mensis N. cum scandalo Communitatis (viciniæ, vel eò modò, quò contigit) commiserit; Nos verò Officii nostri gravissimè negotiis implicari nequeamus personaliter judicialem indaginem instituire, cogimur hoc munus alteri demandare. Tibi ergo, cujus prudentia, peritia, & Zelus Nobis sunt abundè perspecta, harum tenore committimus, ut P. N. sociò sive Secretariò (vel: sociò tibi bene visò) assumptò, ad præfatum Conventum te transferas, & judicialem super prædicto delicto & delinquente instituas processum, omnem Nostram facultatem necessariam & opportunam ad hoc concedentes. Præcipimus itaque in virtute Spiritus Sancti, Sanctæ Obedientiæ, & præcepto formali omnibus Religiosis subditis Nobis, cujuscunque Statús & conditionis sint, quibus præsentès innotuerint, ut Te tanquam judicem legitimam à Nobis delegatum recipiant & agnoscant, & in hac causa ac ad eam spectantibus Tibi, sicut Nobis, pareant atque obediant. Omnia autem acta judicialia ita volumus per Te fieri, ut tamen sententiam definitivam Nobis servemus. In quorum fidem præsentès dedimus Nostrâ manu subscriptas, & sigillò officii Nostri signatas, in Conventu Nostro N. die. . . mensis . . . anni . . .

*(L. S.)**F. N. qui suprâ.*

52. In ordine ad propositam formulam nota, quòd, etsi Provinciales possint subdito suo causam aliquam criminalem delegare etiam usque ad sententiam definitivam inclusivè, imò etiam illius executionem, ordinariè tamen delegent usque ad sententiam definitivam exclusivè.

53. Delegatus legitimè constitutus I. & ante omnia litteras patentes suæ delegationis præsentare debet juxta dicta superiùs; & quidem, si sit Visitator Conventus, eas publicè legere faciat in Capitulo vel communi re-

fectio-

fectione, ubi saltem major pars Communitatis sit præsens. Constitutiones nostræ cit. p. 3. c. 20. n. 2. statuunt, quòd nulli Vicario sive Commissario credatur, nisi litteras suæ commissionis ostenderit saltem coram majori parte eorum, super quibus habet exequi commissionem, vel nisi exemplar earum miserit. Similiter, si delegatus sit ad causam particularem, & de delicto constet, sed tamen ignoretur delicti author, sicque plures examinari debeant, præstat, ut delegationis litteræ in publico coram Communitate legantur, ut apud omnes constet de jurisdictione delegati; licet in rigore sufficiat, quòd tingillatim ostendantur omnibus, qui examinari debent. Si verò processus instituendus sit contra particularem vel particulares diffamatos, denunciatos, vel accusatos, non est necesse, quòd delegatus publicè legi faciat suas patentes; imò quandoque expediet, quòd ejus delegatio maneat secreta, ne reus aut aufugiat, aut subornet testes, vel contra veritatem dicendam se muniat; sed sufficit, quòd ante examen testium aut Rei ostendat cui-libet originale suæ delegationis.

54. II. debet attendere, quousque & ad quid se extendat ipsa sua commissio. III. debet pro judiciali processu nominare secretarium, si à delegante non fuerit nominatus. Nominationis formula hujusmodi esse potest:

Die .. mensis ... & anni ... Ego F. N. Prior (vel: Præsidens hujus Conventûs, aut: Sacerdos professus sacrae N. Religionis) obediendo mandato A. R. P. nostri Provincialis &c, accepto commissionem, & in ejus virtute nomino seu designo Secretarium pro dictæ commissionis causa Patrem N. nostræ sacrae Religionis professum sacerdotem. In cujus fidem me subscripsi in Conventu N. die mensis & anni, quibus supra. F. N.

55. Si litteræ commissionis non contineant præceptum sed hoc fuerit remissum Commissario, Commissarius antequam in præfata Secretarii nominatione dicat: *In cujus fidem*

fidem &c, ponat sic vel similiter: *Et precipio in virtute Spiritus Sancti, Sanctae Obedientiae, & sub praecepto for-
niali omnibus Religiosis, cujuscumque status & dignitatis
sint, subditis Nobis, quibus praesentes innotuerint, ut sub
juramento dicant, & exponant omnia, qua circa prae-
dictum casum seiverint. In quorum fidem &c.*

56. Si in commissionis litteris jam sit nominatus Se-
cretarius, Commissarius in praefata forma post particu-
las illas: *obediendo mandato &c* ponat sic: *accepi jura-
mentum fidelitatis à Patre N. Secretario nominato pro
ista causa in praefata commissione. In quorum fidem, &c,
ut supra.*

57. Supradicta Commissarii subscriptione facta, nomi-
natus Secretarius acceptat officium his vel similibus ver-
bis:

*Ego F. N. nostrae Sacrae Religionis professus Sacerdos,
visà Secretarii nominatione, facta à nostro &c, accepto
dictum officium, & juro in verbo sacerdotis ponendo ma-
nū supra pectus. me fideliter meum officium adimpletu-
rum. In cujus fidem me subscripsi in Conventu N. die ..
mensis .. & anni ... F. N.*

58. IV. debet Commissarius observare formam juris
secundum proprias Constitutiones. Vide *Judicium &
Judex.*

59. Nota. 1. quod, si in aliquo casu ad plenam delicti
probationem sit necessarium testimonium Prioris aut
Praesidentis Conventus, commissio non tali Priori aut
Praesidenti (utpote qui simul iudex & testis esse ne-
quit) sed alicui alteri Religioso gravi & prudenti dan-
da sit. 2. quia aliquando contingere potest, quod per-
sona in Secretarium à delegante nominata ob agritu-
dinem &c non possit prosequi causam, ut Commissarius
queat alium vel alios nominare Secretarios, expediet,
quod in commissione detur facultas nominandi Secreta-
rium vel Secretarios, quot fuerint necessarii. N. Petrus
ab Ang.

DENUNCIATIO

1. est delatio sive manifestatio criminis, Superiori facta, absque inscriptione seu accusationis solemnitate. Alia est Evangelica, alia judicialis. Denunciatio *Evangelica* est delatio Rei alicujus criminis ad Superiorem *ut ad patrem*, qui reum pro qualitate criminis in secreto corrigat, ad pœnitentiam perducatur, & resipiscere faciat. Vocatur *evangelica*, quia in Evangelio est à Christo tradita *Matth. 18. v. 15.* Vide alibi Verbô: *Correctio.*

2. *Q. 1.* an ordo Evangelicæ denunciationis sit præscriptus etiam Religiosis? *R. aff. cum comm. DD. & S. Thoma 2. 2. q. 33. a. 7. ad 5.* ubi: *Dicendum, quod Prælati non est obediendum contra præceptum Divinum secundum illud Actor. 5. obedire oportet DEO magis quam hominibus. Et ideo, quando Prælati præcipit, ut sibi dicatur, quod quis scriberit corrigendum, intelligendum est præceptum sanè, salvò ordine fraternæ correctionis; sive præceptum fiat communiter ad omnes, sive ad aliquem specialiter. Sed si Prælati expresse præciperet contra hunc ordinem à Domino institutum, & ipse peccaret præcipiens & ei obediens. Idem habet S. D. Quodlib. 1. q. 8. agens de Religioso.*

3. *Obj. 1.* Religiosi per Professionem cesserunt juri suo, quod habebant ad suam famam & ad hoc, ut fraternam admonitio præmitteretur delationi ad Superiorem: ergo. *Ant. prob.* quia professi sunt humilitatem, cujus exercendæ est melior occasio, dum Superior corripit, quàm inferior: ergo. *R. N. ant.* quod adversatur communi sensui Religiosorum. *Ad prob. dist. ant.* sunt professi humilitatem, sed secundum Evangelium, & talem, quæ sit cum reservatione juris ad suam famam, *C. ant.* professi, vel potius profitentur eam contra ordinem Evangelii & cum abdicatione juris ad suam famam,

mam, *N. ant.* Etiam Religioso est dictum: *habe curam boni nominis.*

4. *Obj.* 2. emendatio delinquentis meliùs ordinariè & securiùs fit per superiorem quàm inferiorem: ergo. *Ant. prob. I.* quia superior habet mille modos præcavendi in delinquente periculum relapsûs: ergo. *II.* Securiùs damna Communitatis avertuntur per correctionem delinquentis factam à Superiore: ergo. *R. N. ant.* utpote quod est propositio erronea in fide, Evangelicæque doctrinæ injuriosa. *Bannez & alii;* nam utique Evangelio fit injuria dicendo, meliorem & securiorem esse modum, quò delicta immediatè deferuntur ad superiorem sicut patrem, quàm sit ille modus, quem præscribit Evangelium dicens, priùs debere fieri secretam delinquentis correctionem inter te & ipsum solum.

5. *Ad prob. I. R. N. conf.* etsi enim superior plures, quàm inferior, habeat corrigendi & à lapsu præcavendi modos, hi tamen non semper sunt applicandi & proficui, sed in casu nostro si expetas fratris tui correctionem à superiore faciendam, noces *1mò* fratris tui, quem defers, famæ, in quam Superior dominium non habet, sicut nec tu: *2dò* noces bono communi per rixas, odia, & dissensiones inter Religiosos, quibùs perturbabitur Religiosa Communitas: *3tò* eà ad superiorem delatione non emendabis delinquentem; hic enim videns se diffamatum apud superiorem, velut desperabundus non curabit amplius se emendare, sed quandam cordis durtiem contrahens, ad novam & novam culpam inducetur (cum non modico regularis disciplinae & boni nominis Religionis damno) potiùs, quàm emendet culpam antiquam; & sic fient hominis illius novissima pejora prioribus; nam, ut ex *SS. Hieron. Aug. Bern.* &c ait *D. Thomas cit. a. 7. præ timore infamiae multi à peccato retrahuntur. Unde quando se infamatos conspiciunt, irrefrenate peccant.*

6. *Ad II. prob. N. ant.* cujus fallitas patet ex præcedenter dictis. *Dein* in hac materia non est licitum, quidquid aliquò modò majorem securitatem adferret; aliàs enim imò liceret, fratrem occulti criminis reum immediatè deferre superiori *ut judici*; quod tamen Adversarius noster non admittit. *Prob. seq.* quia ista delatio magis suò modò securitatem adferret pro cavendis scandalis & damnis communitatis; cum subditos magis terret, aliòsque ipsorum sic delatorum & punitorum exemplò retraheret à peccato: *adò* liceret, dyscolo, qui sæpiùs effractis carceribùs cum Religionis scandalo fugeret, effringere crura, ne posset fugere ampliùs; quia id ad evitandam novam fugam securius esset. Et tamen similia non licent: ergo non licet in hac materia, quidquid majorem securitatem adfert; sed quemadmodum infirmus, absque abscissione membri *secure* curabilis, debet sic curari, tametsi eò abscissò fortè *securiùs* curaretur: ita frater, absque famæ apud superiorem amissione *secure* curabilis & emendabilis, debet sic curari & emendari, licèt famâ amissâ fortè *secundum* quid *securiùs* emendaretur.

7. *Obj. 3.* in Religionibus major est habenda securitatis ratio pro bono communi, quod per delicta Religiosorum læderetur, quàm aliqualis diffamatio particularis Religiosi apud superiorem: sed: ergo. *R. N. min.* quia est opinio, juxtà *Bannez*, erronea in fide, dicere, quod Religiosa communitas, servatò illò ordine Evangelico, non possit *secure* & bene ac fructuosè gubernari.

8. *Obj. 4.* per crimen à se in Religione commissum Religiosus amittit jus secreti respectivè ad superiorem *ut patrem*: ergo frater talis delinquentis Religiosi crimen potest sine ejus injuria deferre ad superiorem *ut patrem*. *R. N. ant.* quod gratis & sine ulla probatione asseritur.

9. *Obj.*

9. *Obj. 5. in Cap. qualiter & quando. 24. de accusat. Innoc. III. postquam dixerat, quòd denunciationem charitativa monitio præcedere debeat subjungit: hunc tamen ordinem circa Regulares personas non credimus usquequaque servandum: ergo. R. 1. retorq. arg. in cit. Cap. Innoc. III. postquam dixerat, quòd accusationem legitima debeat præcedere inscriptio & inquisitionem clamorosa insinuatio, subjungit: hunc tamen ordinem circa Regulares personas non credimus usquequaque servandum: ergo inter Regulares accusationem non debet necessariò præcedere legitima inscriptio & inquisitionem clamorosa insinuatio? Non valet: ergo nec tua consequentia valet; quia Pontifex eòdem modò loquitur de charitativa monitione in ordine ad denunciationem, ac de inscriptione & clamorosa insinuatione in ordine ad accusationem & inquisitionem.*
Igitur

10. *R. 2. explic. textum sub dist. hunc tamen ordinem judicalem cum apicibus juris, Conc. hunc tamen ordinem Evangelicum fraternæ correctionis, Nego. Non de hoc, sed priore ordine loquitur Pontifex; ut patet tum ex sumuario capituli, tum ex ratione, quam adfert hanc: quia personæ Regulares (cum causâ requirit) facilius & liberius à suis possunt administrationibus amoveri: quâ ratione significatur, ibi sermonem esse de processu & ordine judiciali, in quo proceditur ad puniendum per amotionem ab administrationibus & officiis; non verò de ordine Evangelico correctionis fraternæ, utpote qui non ordinatur ad puniendum.*

11. *Q. 2. nunquid sunt aliqui casus excepti, in quibus absque prævia delinquentis monitione eum possumus ad superiorem ut patrem deferre? R. aff. Inus casus est, si fratris delictum sit duntaxat veniale. Constat ex praxi omnium Religionum, in Capitulis immediatè denunciantium leves, famæ non derogantes, culpas fratrum. S. Th. cit. a. 7. ad 4. ubi ait: hujusmodi proclama-*

tiones, quæ in Capitulis Religiosorum fiunt, sunt de aliquibus levibus, quæ NB. fama non derogant: unde sunt quasi quædam commemorationes potius obliatarum culparum, quàm accusationes vel denunciationes. Si essent tamen talia, de quibus frater infamaretur, contra præceptum Domini ageret, qui per hunc modum peccatum fratris publicaret.

12. *U*idus est, dum peccatum est publicum, quia vel commissum in præsentia multorum vel certè jam cognitum à pluribus. S. Th. cit. a. 7. & DD. comm. tunc enim locum habet illud 1. ad Tim. 5. peccantes coram omnibus argue, ut & cæteri timorem habeant; videlicet, ut scandalum mediâ punitione à Communitate amoliat. *M*ltius est casus, quò privata correctio nihil profutura sed omninò inutilis videtur. Vide: V. Correctio.

13. *U*trius, quò occultum proximi peccatum est vergens in boni communis vel tertii detrimentum, cui per secretam monitionem occurri nequeat; tunc enim id peccatum superiori immediatè denunciari potest & debet. Audi S. Bern. Serm. de S. Jo. Bapt. ubi eos Regulares, qui adeo negligentes & timidi sunt in denunciando peccata secreta fratris sui, quantumvis bono communi aut alicui tertio nociva sint, ut ita illa pertranseant & dissimulent, tanquam aliquid ad eos minimè pertinens, graviter sic arguit: nemo, Fratres, vitia palpet, peccata dissimulet; nemo dicat: nunquid custos fratris mei sum ego? nemo æquanimiter ferat, cum viderit, Ordinem perire, minui disciplinam; est enim consentire, silere, cum arguere possis: Et scimus, quia similis pena consentientibus maneat & facientibus. Ad eos, qui putant, se per similes denunciationes in charitate deficere, sic Cap. 23. suæ Regulæ scribit S. Augustinus: nec vos iudicate esse malevolos, quando hoc indicatis; magis quippe innocentes non estis, si fratres vestros, quos indicando corripere potestis, perire permittitis.

14. *Vtus est*, quò quis contra delinquentem vult actionem judicialem civilem vel criminalem instituere; tunc enim non tenetur eum priùs monere privatim; quia nemo tenetur suo adversario arma subministrare aut tempus permittere, ut se paret, ad sibi melius respondendum in iudicio.

15. *Q. 3.* an fraterna correctio propterea omittenda sit, quòd corrigendus ex illa exasperandus sit? *nequamquam*; dummodò affulgeat spes, eum postea sedatâ passione ad se rediturum, & non sine emendationis fructu correctionem acceptaturum; sic enim equidem *lucratus eris fratrem tuum*.

16. *Q. 4.* nunquid, dum ad emendationem fratris sufficit denunciatio Evangelica seu paterna, abstinendum est à judiciali? *R. aff.* quia emendatio proximi semper quærenda est cum minori ejus damno possibili; *charitatis enim est*, ait *Quodlib. 1. q. 8. S. Th. ut aliquis parcat fratri, quantum potest*. Unde, si possis fratrem corrigere, sine adhibitis testibus, eos adhibere non audes; si possis corrigere adhibitò teste unò, debes alterum omittere. Si nihil proficias etiam coram testibus factâ admonitione ita, ut cogaris delictum Superiori deferre, eò quòd sit in futuram perniciem Communitatis, tunc, si eà perniciem possit averti absque eo, quòd nomines delinquentem, hunc non audes nominare.

17. *Q. 5.* quæ in visitatione superioris pro præsentì materia observanda sint? *R. seqq.* I. quòd in ea non possis deferre illa fratris tui occulta peccata, quæ per fraternam correctionem emendare poteras, quæque in grave Communitatis aut tertii damnum non vergunt. *DD. comm.* Et id verum est, etsi Visitator contrarium præciperet; non enim posses ei in hoc obedire. *S. Th. supra n. 2.* II. multò minus posses referre ea peccata, quæ ex toto emendata sunt; nisi scandalum reliquerint; tunc enim deferri deberent, ut scandalo, quod patitur Com-

munitas, satisfiat. Dixi: *ex toto emendata*; nam, si prudenter timeretur relapsus, quem tuâ monitione factis bene impedire non valeres, poteris immediatè denunciare Prælato ut patri, cautè tamen, ut non plùs difametur frater, quàm sit necesse ad ejus emendationem, quæ est finis hujus denunciationis. *Ratio hujus limitationis sumitur ex verbis Doctoris Angelici supra citati: tandem negligenda est fama, ut emendetur conscientia.*

18. Q. 6. an in visitatione possim manifestare illa delicta, quorum notitiam accepi ex eo, quòd delinquens à me consilium petierit? *Re Neg.* quia secretum naturale, ad quod obligaris, est supra potestatem Prælati: ergo non poteris tale occultum crimen, ejus notitiam sub secreto accepisti, eidem revelare, præsertim ut judici, etsi eam is revelationem sub pœna excommunicationis præceperit. *S. Th. 2. 2. q. 69. a. 2. & DD. comm.* quia, quod est secretum, est quasi sigillatum, & ita non debet fieri publicum, nec proinde manifestari personæ publicæ, qualis est iudex. *Limita Responsum 1.* nisi id exigeret necessitas correctionis delinquentis juxta dicta; tunc enim posses illud peccatum revelare Prælato ut patri, non verò ut judici ob rationem mox datam. *Limita 2.* nisi ex revelationis omissione sequeretur grave damnum communitatis aut tertio innocenti; quia tunc teneris similem criminofum denunciare non interrogatus; ut colliges ex supra dictis: ergo à fortiori interrogatus & jussus; ut fit in visitatione. Nec in simili casu obligat secretum naturale; utpote cui præponderat aliud præceptum naturale dictans, bonum commune præ particulari curandum esse. *Excipe secretum ex confessione sacramentali habitum: quod semper obligat sine ulla limitatione ob gravissimam, quæ per hujus secreti revelationem sacramento inferretur, injuriam & damnum, quod præponderat cuique alteri damno.*

19. Q. 7. sed quid, si delictum vergat in damnum tertii vel Communitatis, & ego, qui delinquentem monui,
non

non sîm certus moraliter sed dubius de emendatione fratris delinquentis? *Rz* cum *Sayro* & aliis, quòd tunc debeas statim denunciare Prælato ùt patri. *Rat.* quia in dubio major est ratio habenda boni communis & tertii innocentis, quàm delinquentis hominis privati: at in hoc casu dubium est damnum *Communitatis* vel tertii: ergo.

20. *Q. 8.* an in visitatione tenear aliquid manifestare cum meo aut cujusdam tertii innocentis gravi nocumento, quando hoc præponderat nocumento illi, quod sequetur ex omiſſa denunciatione? *Rz Neg.* cum *N. Petro ab Ang.*

21. *Q. 9.* an Prælato Regulari ex eo, quòd aliqui in visitatione detulerint alicujus peccata gravia occulta, bono communi aut tertio non-nociva, nascatur jus ad judicialiter inquirendum & procedendum contra similem? *Rz Neg.* cum *Soto, Nav. N. Petro &c.* *Rat.* quia, ùt in *Cap. qualiter & quando. 17. de accusat.* ait Innoc. III. *ex iis, quæ inordinate sunt acta, non potest ordinabiliter agi.*

22. *Q. 10.* quid possit & debeat Prælatiis facere vî denunciationis Evangelicæ seu sibi ùt patri factæ? *Rz seqq.*
I. factâ denunciatione, Prælatiis ante omnia prudenter animadvertere & (antequam denunciato aliquid indicet) in secreto explorare debet, num vera vel falsa sit denunciatio sibi ùt patri facta, an verò ex aliqua inimicitia aut circumventionem processerit denunciatio: in quem finem diligenter consideret personam denunciantis, an sit fide usquequaque dignus; quia, nisi similis cautela adhibeatur, ex denunciatione facilè excitarentur turbationes, odia, & contentiones, quæ postea extinguì vix valeant. **II.** Prælatiis per ocularem denunciantis, qui sit persona undequaque fide digna, visionem aut per alia indicia æquivalentia sufficienter de denunciationis veritate informatus, debet delinquentem vocare secretò, eisque suam indicare notitiam, quam habet de illius delicto: Et, si hic illud recognoscens confitea-

tur cum proposito se emendandi, non poterit Prælatas ulterius progredi, nec judicialiter contra eum procedere, nec pœnis à jure statutis illum punire, neque illius delictum propalare. *DD. comm. Raz.* quia delictum non fuit illi manifestatum ut judici ad puniendum, sed ut patri ad subditum ex amore paterno corrigendum; hic enim est finis denunciationis Evangelicæ.

23. *Q. 11.* nunquid denunciatus sub gravi culpa tenetur ad dictam delicti sui agnitionem & confessionem, emendationisque promissionem? *Rz aff. cum S. Tb. quodl. 12, a. 1.* nisi subditus ille prudenter sibi persuadere possit, Prælatum tali secretâ confessione malè usurum, in malum videlicet contentis; tunc enim confiteri non tenetur, præsertim coram testibus.

24. *Q. 12.* an non Prælatas debeat talem sibi denunciatum corrigere privatim? *Rz utique,* & quidem non solum verbis, suaviter eum confirmando in suis bonis propositis, sed etiam (si opus fuerit) salutaribus pœnitentiis, moderatis tamen, & quæ non sint punitivæ sed correctivæ & præservativæ, quæque infamiam non irrogent, nec crimen manifestent; esset enim contra jus, delictò non probatò, illud punire, idque, quod sibi secretò ad corrigendum est manifestatum, per pœnitentias divulgare. *Nav. Suar. Sc.*

25. *Q. 13.* quid ulterius Prælatas possit facere? *Rz,* omnia, quæ, salvâ delinquentis famâ, necessaria sunt ad consulendum bono ipsius. Unde poterit I. illi auferre occasiones peccandi: II. ei sub pœna excomm. prohibere, e. g. ne talem suspectum locum amplius adeat, néve cum tali persona loquatur. *Fill. Suar. Sc.* III. illum ab officio vel ministerio, quod delictò ansam præbuit, removere, si officium ex solo nutu superioris dependeat, & remotio sine ulla infamia fieri possit, prudenter pensatis omnibus circumstantiis. *cit. Cap. qualiter Sc quando;* dummodo illa amotio ab officio (vel Conventu) judicetur opportunum remedium ad occurrendum præfenti

senti malo; aliàs enim non posset Prælatus talem ab officio remove, sed tenebitur eum eòdem honore, quò priùs afficere juxta *Can. ponderet. 14. Dist. 50. IV.* poterit Prælatus (si pro remedio delinquentis necessarium duxerit) illi fidelem socium assignare, qui ejus actiones exploret superiorique referat. Nequaquam tamen id Prælatus socio (si apud hunc nondum diffamatus sit delinquens) præcipiat, nec illi dicat, ut talis actiones observet; quia per id redderet illum socio suspectum. Si Prior se solò possit delinquentem corrigere & remedia adhibere, non audet delictum Provinciali transcribere. Si verò ad id indigeat auxiliò Provincialis aut suorum Consultorum consiliò, poterit illis delictum sub secreto naturali notificare. *Castrop. N. Henr. & alii. Rat.* quia denunciatio Evangelica ea omnia permittit, quæ necessaria sunt ad obtinendum suum finem, nempe delinquentis correctionem, citra tamen illius infamiam. Hinc etiam, quando Provincialis delinquentem amovet ab uno Conventu ad alium, & Priori Conventus, ad quem Religiosum illum transfert, mandat, ut super ipsum vigilet, delicti notitiam communicare debet sub secreto naturali, si ad id cogat necessitas & remedium paternæ correctionis.

26. *Q. 14.* quid, si denunciatus non agnoscat culpam suam, sed persistat in negatione delicti? *R.* poterit Prælatus eum severiùs reprehendere coram illo, qui habet notitiam delicti, si ita judicaverit expedire; sin minùs coram uno vel duobus gravibus viris. *Soto, Suar. &c.* Poterit ei etiam pœnam aliquam mediocrem e. g. disciplinam in camera faciendam vel similem imponere, secundum quod judicaverit expedire ad terrorem incutendum. *N. Petrus;* quia pro his omnibus sufficiens præbet fundamentum præfata notitia; cum (ut supponitur) persona denunciatus non sit suspecta. Poterit quoque illi imponi præceptum & pœna excomm. ipsò factò incurrenda, ut talem evitet occasionem, hunc vel illum

locum

locum non accedat, non tractet familiariter cum his & illis: quod præceptum & quæ censura ei intimari possunt coram duobus testibus, ut, casu quò deficeret, transgressio probari possit, & pœna proportionata imponi: & si expedire videbitur, poterit Prælatas facere, ut acceptatio præcepti ab ipso denunciato & testibus subscribatur, ad facilius eum convincendum in casu, quò delinqueret, aut testes vel unus ex eis deficeret.

27. *Obj.* si Prælatas corrigat denunciatum coram 2. testibus, hòc ipsò infamat illum. *Rzdet Castrop.* levem videri eam jacturam famæ, spectando spirituales utilitatem corrigendi; præsertim, cùm istis testibus imponatur silentium.

28. *Q. 15.* quid, si subditus post omnes præfatos Prælati conatus rebellis ac pertinax persisteret? *Rz,* nihil amplius incumbere Prælatò, quàm illum DEO commendare, & à peccandi occasionibus abstrahere sine nota ac scandalo, remittendo causam ad tribunal DEI, qui *secretorum & cognitor & judex est. Can. erubescant. 11. Dist. 32.* Ita post alios *N. Petrus ab Ang.* in lib. cui titulus: *Prior claustralis pag. 29.* apud quem vide, quomodò se Prælatas habere possit ac debeat, dum delictum vergeret in damnum commune aut tertii, & an valeat ad ordinem judiciale procedere, si delictum sit occultum, probabile tamen per duos testes. *Vide pag. 34. n. 10 & seqq.*

29. *Q. 16.* quid sit

Denunciatio judicialis?

Rz, esse alicujus delicti ad superiorem ut judicem de-lationem in ordine ad emendationem & punitionem delinquentis. *Differt. 1.* ab accusatione propriè dicta, tum quia non exigit hujus solennia; tum quia denunciatus (nisi inveniatur esse palliatus accusator) nec obligatur ad probationem delicti, nec ad pœnam talionis; etsi non sit immunis ab aliqua pœna, quando fecit denunciationem sine sufficienti fundamento. *Differt. 2.* à denunciatione Evangelica imò in fine; finis enim Evangelicæ est

mera

mera emendatio delinquentis, judicialis denunciatio-
nis verò finis ultra emendationem est aliqua vindicta
seu punitio: *2do* in Evangelica nunquam est locus pro-
cessui judiciali, sed ea regulariter movet Prælatum ad
solam paternam fratris correctionem; etsi ea aliquando
viam possit aperire judici per famam aut quid æquiva-
lens, ut ipse novum instituat procedendi modum per
viam inquisitionis ex munere: in denunciatione judi-
ciali verò potest Prælatus, si ei videbitur, procedere ju-
dicialiter, & tunc denunciator & testes obligantur ad
juramentum, quale non exigitur à denunciatore Evan-
gelico.

30. *Q. 17.* nunquid in omni genere peccatorum sem-
per occurrendum est damnis cum minori dispendio fa-
mæ & honoris ipsius delinquentis, quò fuerit possibile?
Raff. ex dictis supra; nisi quando delicta & delinquen-
tes sunt notorii ac manifesti; in his enim casibus non
est, cur habeatur ratio famæ; cùm hanc reus perdide-
rit per ipsam notoreitatem & publicitatem delicti, & sa-
tisfactionem aliunde postulet scandalum. In aliis verò
delictis occultis, quamvis probari possint, & sint in
damnum boni communis vel tertii, debet tamen atten-
di ad suprà dicta. Unde, si delinquentis emendatio &
plena damnorum reparatio haberi possit per hoc, quòd
delictum revelatur duntaxat in genere & communi, non
debet revelari in particulari: Et, si sufficiat manifesta-
re solum delictum, non debet manifestari delinquens:
si sufficiat denunciatio Evangelica, non oportet uti ju-
diciali: Si satis sit detegere delictum uni ex amicis de-
linquentis, ut ipse solus eundem corrigat, non potest
deferri ad Prælatum, etiam *ut patrem*. Et facere
contrarium, est peccatum grave. *S. Th. quodlib. 11. q. 12. &*
2. 2. q. 33. a. 7. Nav. Sayrus, ac teste N. Petrò DD. comm.

31. *Q. 18.* nonne in delictis occultis, in grave Com-
munitatis aut tertii damnum non vergentibus sed me-
re personalibus, semper à correctione fraterna debet
ordi-

ordiri delinquentis emendatio? *Re aff.* si ex ea correctione fructus saltem probabiliter speretur. *Sayr. Spatharius, Felin. Suar. Castrop. & alii. Rat.* fumitur ex præcepto Christi *Matth. 18. corrige eum inter te & ipsum solum &c.* Unde docent *DD. comm.* Prælatum, antequam denunciationem juridicam admittat, debere denunciante[m] interrogare, an correctionem fraternam præmiserit: quodsi invenerit, illam indebitè omissam esse, debet jubere denunciante[m], ut, quod omisit, charitativè suppleat, quò sic denunciante[s] confundantur, & priùs fraternam exerceant charitatem, antequam faciem adeant Prælati, & sic aditus præcludatur malignis & calumniatoribus.

32. *Q. 19.* an denunciatio judicialis, quam non præcessit fraterna correctio, sit etiam invalida? *Affirmant Felin. Suar. Valent. & alii post Glossam in Cap. cum dilectus. 20. de accusat. & Rat. est,* quia ille actus est nullus, qui caret formâ sibi à jure præscriptâ: sed hæc caret præfata denunciatio; siquidem charitativa correctio pro denunciatione tanquam forma præscribitur tum *Matth. 18.* tum in *Cap. qualiter & quando. 24. cit. 1. ergo.* Etsi hoc ita sit considerando punctum juris, spectando tamen praxin, existimant *Castrop. tr. 6. disp. 3. p. 16. n. 3. & Ludov. de Ameno tit. 9. §. 1. q. 1. n. 9.* non fore invalidam eam denunciationem; communis enim usus judicum, qui de monitionibus ex sua parte non sunt solliciti, ostendit, eam monitionem non esse de substantia actûs, nec, ait *de Ameno,* jura invalidant talem denunciationem, quam non præcessit secreta monitio. Quærat tamen judex de præmissa monitione fraterna, & si inveniatur præmissam non esse, repellat denunciatores, cui ea possibilis erat & debita, ne hujus injustæ denunciationis malitiam participet.

33. *Q. 20.* an delicta personalia (seu quæ nocent soli personæ committenti ea) omninò occulta (seu non probabilia per duos testes) sint juridicè denuncianda?

Re Neg.

By Neg. etsi per correctionem fraternam non speretur emenda. Ita *Ledesma, Rodriq. & alii. Rat.* quia, cum tale delictum, cujus notitiam solus denunciatus habet, non possit probari, frustra fieret talis denunciatio. Ratio posita locum etiam habet in casu, quod Prælatus ad denunciandum urgeret per præceptum & excomm. *Lorca, Villagutta, Nav. Less.* & alii dicentes, esse peccatum grave, facere contrarium. Paternè tamen posses tale delictum, à te secretò incorrigibile, denunciare, si speres emendam per Prælatum ut patrem, cujus emendæ si non sit spes sed potius timeatur deterioratio, nec paternè denunciare poteris, sed debebis delinquentis emendationem à DEO postulare; ut ait *Bassæus V. denunciatio n. 6.*

34. *Q. 21.* cur in præc. *Q.* addiderim: *personalia delicta*? *By*, quia aliud est de delictis vergentibus in futurum, aliter inavertibile, grave damnum Communitatis vel tertii; ut supra dictum; talia enim tenentur denunciare (etsi non præcedat infamia) Prælato ad hoc, ut provideat de remedio vel ut pater, si hoc sufficiat, vel ut iudex procedendo ad inquisitionem juridicam (in qua denunciatus potest agere testem) nisi in casu, quod quis firmiter crederet, quod per correctionem fraternam statim occurrere possit damnis & præsentibus & illis, quæ imminet in futurum. Et quia in peccatis valde nocivis, quæ instar gangrænæ serpunt ac inficiunt, sicut est hæresis, nunquam habetur hæc emendationis certitudo & damnorum per fraternam correctionem reparatio, absolutè sine ea debent denunciari. *N. Petrus c. 9. n. 5.*

35. *Q. 22.* num quis delictum merè personale, solum duobus aut tribus notum, juridicè denunciare debeat, si Prælatus ad publicam pœnam procedere vellet? *By Neg. Rat.* quia in hoc casu denunciatio injustè ordinaretur ad bonum commune: ergo nemo tenetur delictum juridicè denunciare ad illum finem obtinendum.

Ant.

Ant. prob. quia commune bonum non exigit publicam punitionem delinquentis, nisi is laboret infamiâ, vel delictum sit in damnum Communitatis vel tertii: at hæc in nostro casu non habentur: ergo. *Kerchove c. 2. §. 2. n. 3.* contra quem & *P. Martinum à S. Jof.* erit seq. *Relio.*

36. *Q. 23.* quid, si tale delictum merè personale sit probabile per duos vel tres testes? *R.* equidem non poteris illud juridicè denunciare, nisi præcedat infamia aut aliquid huic æquivalens. *Soto, Castrop. & alii apud N. Petrum c. 9. à n. 11. Prob. 1. juxta S. Tb. 2. 2. q. 70. a. 1.* non potest subditus obedire Prælato & contra aliquem testimonium ferre, nisi *in manifestis & in his, de quibus infamia præcessit*: ergo multò minùs poterit Prælato juridicè denunciare, nisi delicta sint manifesta, & infamia præcesserit.

37. *Prob. 2.* qui non laborat infamiâ, non est puniendus ob delictum probabile per duos testes, nec contra hunc sunt recipiendæ depositiones testium *Cap. inquisitionis. 21. §. Tertiæ. de accusat.* ergo neque est juridicè denunciandus. *Prob. conf.* quia factâ denunciatione juridicâ, iudex procederet ad punitionem publicam & ad receptionem testium; procedens enim viâ denunciationis Evangelicæ solùm punit privatim & pœnâ medicinali: ergo si &c. *Confirm. contra Kerchove*, qui supra *n. 35.* nobiscum tenuit, non licere (nisi præcedat infamia) denunciare delictum per 2. aut 3. testes probabile, dum iudex vult procedere ad punitionem publicam: at denunciatio judicialis quâ talis semper ordinatur ad punitionem publicam; aliàs non distingueretur à denunciatione factâ Prælato ut patri: ergo. Et quis dicet mihi judicialiter denunciato, an iudex postea delictum probatum velit punire publicè, an non?

38. *Prob. 3.* fama fratris necessaria est etiam Communitati: ergo non licet fratrem delinquentem non infamatum infamare per denunciationem juridicam delicti personalis, per 2. vel 3. testes probabilis. *Ant. prob. ex S. Th. 2. 2. q. 33. a. 7.* dicente: *secundò debet conservari fama fratris peccantis, tum, quia unò infamatò alii infamantur secundum illud Augustini ad plebem Hipponensem: Cum de aliquibus, qui sanctum nomen profitentur (ut sunt Religiosi) aliquid criminis .. sonuerit, instant, satagunt, ambiunt, ut de omnibus hoc credatur. Quòd autem denunciatio judicialis infamet, S. D. sæpiùs insinuat cit. art.*

39. *Obj. Pontifex in Cap. qualiter & quando. 24. de accus.* ad denunciationem non requirit infamiam, sed solum charitativam monitionem. *Dist. ad Canonicam & Evangelicam, C. ad judicialem publicam, N.* quia de hac Pontifex non loquitur.

40. *Repl. si adsit infamia delicti, potest judex procedere viâ inquisitionis specialis: ad quid ergo serviret denunciatio juridica, si ad eam etiam requireretur præcedens infamia? R. servire I. ad hoc, ut judex accipiat notitiam illorum delictorum, de quibus est infamia, & ut diligentiam adhibeat inquirendi illa; non enim semper illorum habet notitiam. II. ad hoc, ut cum omni securitate possit contra talem infamatum & insuper denunciatum procedere viâ inquisitionis specialis. III. ad hoc, ut judex ejus virtute procedat in delictis occultis, quæ directè sunt in grave damnum boni-communis vel tertii, & ut impediatur mala, quæ ex talibus peccatis timeantur, in quibus sufficit denunciatio, etiamsi non præcedat infamia.*

41. *Q. 24.* quid, si peccatum occultum sit in periculo proximo, ut publicetur inter multos? R. posse denunciari, etiam non præcedente infamiâ vel correctione fraternâ, si hæc non sufficiat ad perfectam satisfactionem. *Rat. quia tunc fama proximi non patitur notabile*

gravamen; eò quòd tale delictum secundùm moralem æstimationem jam reputetur publicum. *S. Th. D. Antonin. Rich. &c* apud *N. Petrum*, qui ponit hoc exemplum. Est aliquis Religiosus resolutus ad deserendum Conventum & capessendam fugam, quæ si aliter impediri nequeat, debet manifestari Prælato, ut illum custodiat etiam, si opus fuerit, per carcerem, non obstante, quòd publica inde sit in Conventu secutura infamia; illud enim, quòd adeo vicinum est publicationi, pro publico reputatur; & tantum honoris perderet ille fugiendo, quantum ab illo tolleretur illa anticipata incarcerationio; & ad minùs illud scandalum evitatur, quòd extra Conventum per fugam datum esset; cùm in Conventu nec unò nec aliò modò impediri potuisset; idem enim est, videre illum carceri inclusum, ac videre illum fugientem vel fugitivum: ergo non imponitur illi novum gravamen. Et hoc verum est, etsi unus solus fide dignus resciat illud delictum, additis aliquibùs indiciiis. Melius tamen esset, in hoc casu, quòd unus futuræ fugæ notitiam haberet, ponere fugitivo inlidias, ut deprehendatur in flagranti: quòd tamen non erit necessarium, si casus fuerit probabilis per duos. *N. Pet. c. 9. n. 17.* cum quo ad

42. *Q. 25.* quid de illis delictis, quæ Religiosus committit coram duobus vel tribus sæcularibus aut etiam aliquando coram uno, si hic sit ex ordinariis & levioris conditionis hominibus, præsertim si essent mulieres, quæ patiuntur fluxum linguæ & nullum servant secretum? *Rz.* ea posse & debere denunciari Prælato vel tanquam patri, si hoc sufficiat, vel tanquam judici; etiamsi infamia non præcedat. *Constat* ex dictis *num. præc.* nam certò quis sibi persuadere potest, quòd hujusmodi farinæ homines, ad facta Religiosorum revelanda tam proclives, illa delicta sint statim sparsuri. Hoc totum tamen maturò examine & prudentiâ discutiendum est, & ubique servanda charitas; nam posset dari

dari casus, in quo illi pauci seculares, qui delictum viderunt, servant secretum; quamvis hoc apud homines vulgares, rimarum plenos, observari difficillimum sit. Ita cit. P.

43. Q. 26. quid, si delinquentis peccata quidem sint publica, aut is ea emendaverit, nec ex iis immineat damnum aliquod futurum? Et talem delinquentem publicum equidem debere judicialiter denunciari, ut per publicam castigationem satisfiat scandalo ac injuria, quæ Communitati illata fuit per malum exemplum. cit. Pet. n. 7. cum Sylvestro, Nav. &c. Hoc autem (ait Sanch.) debet intelligi, quando istud scandalum non est jam quasi oblivioni traditum per bonum exemplum longi temporis; hoc quippe positò, non debet talis delinquens denunciari, etiamsi id superior sub censura præciperet; tunc namque jam cessavit finis publicæ castigationis. Et hoc modò intellige id, quod 3. p. c. 18. ante §. 24. dicitur in nostris Constitutionibus.

Praxis denunciationis judicialis.

44. I. Prælati, antequam judicialem denunciationem admittat, interroget denunciantem, an fraternam correctionem adhibuerit, & si non, ex qua causa illam omiserit?

II. forma denunciationis judicialis potest esse talis:

Adm. R. P. Provincialis, justitie Zelò incitatus, ne delicta in publicum Religionis damnum maneant impunita, coram Paternitate Vestra Adm. Rda tanquam giudice, ad quem spectat reos punire & innocentes defendere, Ego F. N. sacerdos (aut professus) N. Conventualis judicialiter denuncio qualiter F. N. (hic exprimitur delictum cum omnibus suis circumstantiis) Ego eum charitative monui, sed nihil profeci; Vestram idcirco A. R. Paternitatem conveniendam existima- vi, ut ex pastoralis officii debito huic tam gravi scandalo quòvis meliorè modò consulat, prout in Domino salubri-

ter judicaverit expedire. In quorum fidem me subscripsi
in hoc Conventu N. die . . . mensis . . . & anni . . .

F. N. qui suprâ.

III. denunciatione factâ , Prælati ante omnia benignè audire debet denunciantem , qui si interrogatus, quomodo sciat delictum, respondeat se illud probaturum, indaget Prælati, quâ ratione, quâ viâ? Vel, si denunciatus determinet testes, recipiat Prælati eorum nomina. Si verò dicat, esse publicum, notet Prælati, & hâc factô cum exhortetur, ut se quietet, promittendo se curaturum, ut justitia fiat.

IV. deinde Prælati expendat prudenter, an juridicè sit procedendum vel non? ponderando personam denunciantis (an non sit palliatus accusator) & personam denunciati cum omnibus circumstantiis, ut, si denunciator esset malignus & inquietus, vel denunciatus Vir eminentis virâ & moribûs, per plures annos in sua Religione probatus, nequaquam acceptet denunciationem; sæpè enim angelus tenebrarum transfiguratur se in angelum lucis, & viri aliàs pessimi, passione aliquâ perciti, dant se præcipites in proximi, præsertim eminentis, depressionem. Unde (ait N. Petrus) talis Viri eminentis denuntiatio judicialis ad pœnam talionis duntaxat est admittenda, ne malignantes sub spe indemnitis ansam & occasionem caprent opprimendi Viros eminentes in Religionis detrimentum & dedecus inemendabile.

V. denuntiatio debet poni in capite processûs, & si oretenus sit prolata, debet illam scribere Secretarius.

VI. Prælati nominat Secretarium, qui præstitô juramentô acceptat suum officium môdô superiùs V. Delegatus. n. 57. dictô.

VII. si denunciatus sit præfens, & oretenus denunciatus, poterit processus incipi sub hâc forma:

In nomine Domini. Amen.

45. Coram A. R. P. N. Provinciae N. Priore Provincia-
 li die . . mensis . . & anni . . comparuit F. N. ac juridicè de-
 nunciavit Fratrem N. (exprimatur crimen) hòc modò:
 Adm. R. Pater! Cùm Fratrem N. admonuerim & fra-
 ternè corripuerim de &c, ac nihil profecerim, hinc Pa-
 ternitati Vestrae ut judici id denuncio, ut castigetur &
 emendetur atque scandalo obvietur. Quò auditò A. R.
 P. N. Provincialis detulit denunciante juramentum, quòd
 dictum Fratrem N. charitativè correxerit, & is non re-
 spuerit, ac quòd non odiò aut calumniandi animò sed bo-
 nò Zelò ductus illum denunciavit, prout tactò pectore
 (vel cruce) juravit. Et præfatus A. R. Pater denuncia-
 tionem accepit, si & inquantum &c, & mandavit
 Fratri N. denunciante, ut eidem subscriberet, quod &
 fecit. Acta sunt hæc in Conventu N. die, mense, & annò,
 quibùs suprà.

F. N. deuuncians.

F. N. Secretarius.

Si denunciatio fuerit in scriptis facta, poterit pro-
 cessus incipi (mutatis mutandis) uti accusatorius, de
 quo vide inf. Verbò: *Judicium à n.*

46. Qui alterum ad denunciandum instigavit, ut po-
 stea adducatur tanquam testis de visu, ejus testimoni-
 um ita debilitatur, ut non possit cum alio teste, licèt
 integrò, reum convincere, prout ex *Lud. de Ameno*
 tradit *Kerchove*.

VIII. si Prælati judicet, denunciantem ulteriùs ex-
 aminandum esse, ut sic plenius informetur de circum-
 stantiis facti, ex quibus possit veritatem indagare, & ut
 cognoscat, an denuncians ad instigationem alterius, vo-
 lentis adduci ùt testis, denunciavit, processus poterit
 continuari sic:

Consequenter idem A. R. P. Provincialis, acceptà dictà
 denunciatione, si & inquantum &c, voluit ab eodem F.
 N. denunciante plenius informari de omnibus circumstan-
 tiis facti, de quo denunciavit præfatum F. N. & datò ei

juramentò de veritate dicenda, & quòd non animò calumniandi denunciaverit, prout juravit,

Interrogatus. 1. unde sciat ea, quæ denunciavit? Redit &c.

Interrogatus 2. quò tempore, locò, quibùs præsentibùs? Redit &c.

Interrogatus 3. an ea viderit, vel ab aliis audierit? à quibus? quò tempore? quò locò? quibùs præsentibùs?

Interrogatus 4. quomodo acciderit factum, quod denunciat? quò locò & tempore?

Interr. 5. nunquid F. N. est bonæ famæ? Redit &c.

Interr. 6. an præmissa sit correctio fraterna aut curmissa?

Interr. 7. an ipse monuerit Superiorem localem, aut cur non monuerit?

Interr. 8. cur tam diu distulerit denunciationem? Redit &c.

Quibùs per me infra scriptum receptis, & denuncianti prælectis, cum nolisset aliquid addere vel demere, se subscripsit & dimissus est

Ego F. N. denuncians affirmo.

F. N. Provincialis.

F. N. Secretarius.

47. si denunciatio sit facta per transmissas litteras, forma processùs potest esse talis:

In nomine Domini. Amen.

Cum A. R. P. N. Provinciali Provinciæ N. à Fratre N. missæ fuissent litteræ, in quibus denunciabat Fratrem N. Conventus nostri N. de (exprimatur delictum) essentque scriptæ & subscriptæ, ut credebatur, ejus manu propriâ, volens ipse A. R. P. Provincialis malis insurgentibus, quantum est in se, obviare, accessit Conventum N. ibique de hac causa inquirere volens, ad se jussit scriptorem præfatarum litterarum, quarum initium erat... finis vero... à tergo autem: Adm. R. Patri &c. Exactòque juramentò eum

Interrogavit I. an sciat suæ vocationis causam? *Redit*
Et c.

II. an scripserit ipse superiori litteras? *Et* quas? an eas fecerit scribi ab alio? an alius eum ad illas scribendas instigavit? *Et* quis?

III. an recordetur materia contenta in illis?

IV. quid eum moverit ad scribendum?

V. an sciat, alios ea de re scripsisse? *Et* unde id sciat?

VI. ostendit illi litteras *Et* interrogavit, an eas recognoscat à se scriptas?

VII. an totum in eis expositum sit verum?

VIII. an is, contra quem illas scripsit, sit ejus inimicus?

IX. an eum de tali crimine monuerit?

Quibus per me &c &c, ut supra. n. 45.

EVANGELIUM

1. Est vox græca latinè significans lætum & festivum nuntium, quem nobis declarant quatuor sacri Scriptores Canonici seu Evangelistæ, dum nobis proponunt Christi Domini adventum, sacratissimam ejus præsentiam, vitam, doctrinam, suprema mysteria passionis, mortis, ac resurrectionis ejus, per quas omnem sanctitatem, gratiam justificantem, redemptionem à nostris peccatis, libertatem à servitute ac jugo dæmonis, adoptionem filiorum habemus.

2. *Obj.* etiam epistolæ Divi Pauli, Petri, Jacobi, & Canonici libri omnes novi Testamenti narrant Christi mysteria, opera ac miracula: ergo etiam possunt dici Evangelia. *R. dist.* latè, C. strictè, N. *conf.* quia Codices quatuor Evangelistarum plenius ac latius narrant omnia Christi mysteria, &c, hinc illi soli strictè & propriissimè ex communi acceptione dicuntur Evangelia. N. *Sylveira Opusc. 1. Resol. 5. q. 2. n. 589.* ex quo desumemus sequentia.